

No. 143. 1247. 22. Sept.

K. Wenzel von Böhmen eignet der Domkirche die Burg zu Lesne.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Wenzlaus dei gratia Bohemorum rex quartus omnibus praesentem litteram inspecturis salutem et omne bonum. Quae divinae pietatis affectu sanctis locis beneficia conferuntur, firma debent stabilitate constitui et nulla intentione in posterum revocari. Hinc est quod universis Christi fidelibus tam praesentibus quam futuris volumus notum esse, quod nos pro remedio animae patris nostri Othakari regis Bohemorum ac pro remedio animae dilecti filii nostri Wathzlai, nec non ad petitionem dilectae sororis nostrae Agnetis, castrum in Lesne¹⁾ cuius proprietatem cum omnibus attinentiis suis ac villis adiacentibus universis Misnensi ecclesiae recognoscimus pertinere, venerabili domino Conrado Misnensi episcopo ac suae ecclesiae dimisimus pleno iure, auctoritate nostra regia pacem firmantes ecclesiae praenotatae et districtius inhibentes, ne quis ipsam in eodem castro et suis possessionibus molestet aliquatenus aut perturbet. Ut autem haec donatio rata maneat in futurum praesentem paginam desuper conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum in Camich per manum Herbordi curiae nostrae notarii anno domini M°. CC°. XLVII°, X°. Kal. Octobr., indictione quinta.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; an Fäden von gelber Seide hängt das grosse Siegel des Königs mit Rücksiegel.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 64.

¹⁾ Lissa an der Neisse bei Görlitz.

No. 144. 1248. 5. Mai.

P. Innocenz IV. befiehlt den Bischöfen von Regensburg und Meissen die böhmischen Edlen, welche den Bestrebungen ihres Königs entgegen dem Kaiser Friedrich und dessen Anhängern beizustehen sich unterfangen, zur Umkehr zu ermahnen und im Unterlassungsfalle sie und ihre Besitzungen mit der Excommunication zu belegen.

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus . . Ratisponensi et . . Misnensi episcopis salutem etc. Significante carissimo in Christo filio nostro . . illustri rege Boemiae nobis innotuit, quod cum ipse pro devotionis fervore ac fidei puritate, quam ad nos et Romanam ecclesiam habere dinoscitur, F. quondam imperatori eiusque fautoribus se potenter opposuerit et opponat pro defendenda ecclesiastica libertate, at nonnulli barones et nobiles regni sui, qui contra eundem F. aliosque inimicos ecclesiae receperant signum crucis, in reprobum sensum dati, sicut canes ad vomitum redeunt, dicto F. eiusque sequacibus praestare praesumunt in propriae salutis dispendium consilium, auxilium et favorem. Mandamus, quatenus barones et nobiles supradictos, quod eiusdem F. relictam perfidiam ad gremium matris ecclesiae revertentes eisdem ecclesiae ac regi potenter ac patenter assistant, monere diligentius ac inducere procuretis. Quod si forte monitis vestris non acquieverint in hac parte,